Catalogo dei Libri
Rari

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE - FIRENZE
BONAMICI
92

R. BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE
DI FIRENZE

OPERE BIBLIOGRAFICHE E BIOGRAFICHE
RACCOLTE DAL
Dott. DIOMEDE BONAMICI
di Livorno (1823-1912)

Novembre 1921.

by Google

BIBLIOTHECA SELECTISSIMA

SIVE

CATALOGUS LIBRORUM

IN OMNI GENERE SCIENTIARUM
RARISSIMORUM.

Quos maximis ſumptibus, ſummoque Studio ac Cura, per plurimos Annos collegit, nunc verò Venum exponit

SAMUEL ENGEL,

IN REPUBLICA HELVETO-BERNENSI
BIBLIOTHECARIUS PRIMARIUS.

Qui & huncce Catalogum Ordine Alphabetico concinnavit, ſimùl ac Notis criticis perpetuis illuſtravit.

BERNÆ,

Typis FRANCISCI SAM. FATSCHERIN.
MDCCXLIII.

Digitized by Google

Buon. 927

NOn poſſumus non plangere, miſera, celeberrimarum Bibliothecarum fata, in quas Mars, Vulcanus & Neptunus cum Moria, furiarum infernalium ad inſtar, maximè ſæviere; ſi ſpectemus fata Bibliothecarum Egyptiarum, Pergamenarum & ſexcentarum aliarum, tantæque Librorum multitudinis ante natum Chriſtum conſcriptorum, de qua Scriptores, tum ſacri, tum profani, nobis fidem faciunt, ne unicum quidem Codicem, tum Temporis exaratum, ad nos perveniſſe, ſatis conſtabit, cum antiquiſſimi Codices MSS. hinc inde Superſtites, Seculum IV. à nato Chriſto non attingant, imò è tanto acervo frumenti, Authorum ſcilicèt, vix unum alterumve granulum, imò potius fruſtula quædam, nempè fragmenta illorum, ad nos pervenerint, de aliis ſaltem ſiliquæ vel Glumæ, nomina puto, ſuperſint.

Sed quid opus eſt, de adverſa, quam Bibliothecæ & Libri priſci ævi experti ſunt, fortuna, verba facere, cum Seculum præſens caſus non minùs flebiles ante oculos nobis ſiſtat: annon haud ita pridem inſtructiſſima quædam Bibliotheca publica, Eheu! fatali Incendio periit? quò Reipublicæ literariæ, per tot rariſſimorum MSS. interitum, irreparabile illatum fuit damnum.

A Bibliothecarum Regiarum & aliarum publicarum fatis, ad privatas tranſibimus, & ſic, ſecundum forſan quorumdam judicium, ab equo ad aſinum deſcendamus, etſi, an per interitum tanti numeri Bibliothecarum privatarum, non tantùm aut fortè plus damni, quam per excidium quàm plurimarnm publicarum Rei literariæ adſeratur, adhuc penes judicem lis ſit.

)(2 A

Attentionem enim planè ſingularem meretur obſervatio ſequens: omnes ſcilicet Eruditos noſtri Seculi præſtantiſſimos ac rariſſimos Libros colligere, & proindè haud ſpernendas Bibliothecas inſtruere, illos autem rariſſimè Hæredes, amoris ſui in Studia, & Animi dotum, æquè ac facultatum, poſt ſe relinquere: unde evenit, ut tales Bibliothecæ poſt obitum Domini hinc inde diſtrahantur, mox etiam aut mercatoribus aut Officinis Chartariis inſerviant, & ſic penitus pereant; quid mirum proinde, ſi numero Attalorum & Eruditorum, præcipuè eorum, qui Librorum rariorum juſti ſunt æſtimatores, in dies creſcente, numero verò horum Cimeliorum decreſcente, hoc genus librorum, utpotè ſemper rarius, ita & pretioſius fiat, & magno ære, imò ſæpiùs quôvis pretio, coëmatur.

Ne autem hæc Collectio, delectu magis quàm numero, præſtans, fatum jam ſuprà memoratum experiatur, præſentem concinnare Catalogum conſtituimus, eo propoſito, ut prius quàm Conſilium caperemus, de hacce Collectione hinc inde diſtrahenda, forſan integra ad augendam & ornandam Bibliothecam, aut Regiam aut ſaltem ſplendidiſſimam aliam, acquiri poſſit; etſi enim quàm plurimi horum Librorum, quibuſdam in Bibliothecis inſtructiſſimis exſtent, affirmare auſim, omnes & ſingulos eorum nulla in Bibliotheca, qualiſcunque ſit, ſimùl extare, imò in tot centenis Bibliothecarum inſtructiſſimarum Catalogis, nos quàm plurimos horum Librorum nullibi deprehendiſſe, niſi unde eos emimus, id quod magnum huic Collectioni addit pretium.

Rationem primariam, occaſionemque proximam, cur tantis ſumtibus, tantoque Labore & Studio, huncce Librorum rariſſimorum & pretioſiorum Apparatum comparaverimus, prodere non licet, remotior cum aliis non dicam eruditis, ſed φιλοβιβλοις ſaltem, eadem fuit, talia nempe Cimelia propriis oculis perluſtrandi, ut æquum de illis judicium ferre poſſemus, quæ res certè maximam affert animo, Studiorum deſiderio flagranti, Voluptatem. Qua

Qua verò ratione inducti, hancce collectionem diſtrahere inſtituerimus, una hæc eſt, quam ſuprà adduximus, ne ſcilicet penitus, noſtra poſt fata, intercidat, ſed nobis viventibus ac videntibus, in aliam tranſeat; altera verò eadem cum illa à Cl. Bunemanno in Præfatione Catalogi Librorum rariſſimorum allegata, quod nempè majorem Liberorum quàm Librorum curam habere cogamur, inde ſi propoſitum ſupradictum, de collectione integra vendenda, non ex animi noſtri ſententia cedat, Conſilium de illa auctione publica & quidem forſan in Belgio aut alibi diſtrahenda, etſi planè nobis invitis, capere coacti erimus, de qua re tamen Diaria ſive Litteraria ſive Politica (vulgo novellæ) ſuo tempore plura dabunt ac tempus locumque indicabunt.

Idcircò Eruditos & Litteratores cujuſcunque ordinis ſpectatiſſimos, quibus hancce collectionem aut integram, maximam aut ſaltem illius partem, acquirendi animus erit, rogamus; ut per Litteras ad nos ipſos, vel ad infrà memoratos Bibliopolas &c. directas, (eâ lege tamen, ut illæ abſque noſtro quocunque ſumtu ad nos perveniant,) de pretio & conditionibus, intra ſemeſtre ſpatium, inquirant, ut poſtea, ſi fata voluere, & ſi non aliter de venditione hujus collectionis proſpicere poſſimus, Auctionem publicam inſtituere liceat.

De Concinnatione hujus Catalogi adhuc quædam monebimus.

I. Ordinem Alphabethicum placuiſſe, ut ſtatim cujuſvis Authoris Scripta, diverſi ſæpius argumenti & formæ, ſimùl conſpici poſſint, & in illo etiam, ad inſtar indicis, quid adſit, quidque deficiat, reperiri queat.

II. Quoad Libros Atheiſticos, impios, ſuſpectos, prohibitos &c. noſtræ collectionis, Apologiæ locò, ad præſtantiſſimam illam, quàm Celeb. Uffenbachius Librorum prohibitorum Indici, Bibliothecæ ſuæ T. I. variis de Cauſis præfixit Præfationem, galeatum quaſi ad prologum, B. L. meritoque ablegamus.

)(3 III. A l

III. Ad vitandam prolixitatem in notis raritatis, ſæpius nomen Authoris tantùm, ſive Librum, per Literas initiales notavimus, ideò præmonendum neceſſariò ducimus; ſigla (ſeu Litteras initiales) eſſe explicanda, prout illa ad finem Præfationis exhibentur & explicantur.

IV. In duas Partes diviſus eſt hicce Catalogus, quarum prior continet præter Mſc. omnia, Libros lingua Hebraica, Græca, Latina, Italica, Hiſpanica, Gallica, &c. editos; Pars verò poſterior Libros Germanicos & Belgicos, ut & quoſdam Latinos Germanicis annexos; eum in finem, ut prior ſaltem pars, cujus majorem excudi numerum curavimus, ad Gallos, Anglos & Italos, quibus lingua Germanica rariori uſui eſt, poſterior verò, cujus pauca ſaltem exemplaria typis expreſſa fuerunt, cum priori ad Germanos & Belgas tranſmitti poſſit.

V. Tandem rogamus B. L. ne incuriæ noſtræ, Nævos hinc inde forſan adhuc occurrentes, (exigui tamen numeri & momenti) ſed amanuenſium & eorum, qui, nobis nonnunquam abſentibus, correctionis apud Typographum curam ſuſceperunt, tribuat, cum innumeris, in prima hujus Catalogi delineatione, deletis & emendatis, non planè vitare potuerimus, quin adhùc quædam mendæ ſuperſint, quarum emendationes maximè neceſſarias, cum omiſſionibus, tamen in fine ſubjecimus. Satis præfatum eſt, finem imponamus, ſed tamen cum Libros raros vel minùs obvios hìc Catalogus ſaltem comprehendat; Cel. Vogtii de illis Axiomata, propriis obſervationibus illuſtrata & aucta, adjungamus, ut exinde juſtum pretium Librorum quiſque ſtatuere poſſit. Bernæ Nuithonum, Idibus Novembribus, Anni reſtauratæ Salutis, MDCCXLIII.

P. S. Hæc dum in Chartam conjicimus, ſeſe nobis offert Catalogus Bibliothecæ cujuſdam inſtructiſſimæ, 11. Die hujus Menſis Nov. Amſtelodami, Auctionis publicæ jure, diſtrahendæ, cui Titulus *Bibliotheca ſelectiſſima*, & quidem haud immeritò, cum quamplurimos comprehendat libros raros, imò primæ Claſſis rariſ-

rariſſimos, & quoſdam in hocce noſtro Catalogo haud conſpicuos; è contra verò quamplurimi noſtræ collectionis, v. gr. P. de Abano, J. Brunus (opuſcula ſaltem ejus Lingua Italica evulgata) Agrippa, Ammirato, Aphrodiſæus, Ariſtotelis & Niphi quædam, Baronius, Bebelii Editiones noſtræ, Beroaldus, Biblia, Blanbekin, Inſtit. Calvini Edit. Argentorat., Campegii quamplurima, imò ad unum ferè omnia, Carben, Caſtro, Catherinoti maxima Pars, Ciceronis Officia 1465. &c. Conc. Trident. Canones, & ſexcenti alii, imò, quod mirandum, ulla prorſus Melanchtonis Opuſcula, inibi haud apparent, ita ut hinc ſumma raritas quorundam noſtræ Collectionis Librorum, ut & ex Notis raritatis, Catalogo Amſtelodamenſi parca manu adſperſis, colligi poteſt, vide imprimis Boccatium Anni 1481. No. 642. fol. Eodem occurrit nobis tempore Catalogus Bibliothecæ Reimannianæ Generalis, Hildeſiæ Anno 1741. in forma octava, uti vocant, impreſſus; Catalogus tum quoad collectionem ipſam, tum etiam quoad concinnationem, diſpoſitionem & ſigla, raritatem ac præſtantiam Operum & illorum variarum Editionum, indigitantia, talis, cui ſimilis vix alicubi reperitur; ſed pace ſummi Viri, nunc in pace requieſcentis, quædam in hocce Catalogo obſervata, & obſervanda, nec non reprehendenda, indicabimus; hicce maximus Literator quam plurima ſigla, raritatem Librorum denotantia, loco obſervationis & quidem ſcitè adſperſit, nullus enim ex Libris, Nota R. vel Rr. (enotatis, rarus, ſcil. & rarior) frequenter occurrit, ſed cuncti illorum in Claſſem Librorum rarorum, rariorum imò rariſſimornm, omninò referendi ſunt; ſed quamplurimi rari, rariores, rariſſimi, imò Phænices Librorum, indiſcriminatim, eadem Nota R. ſaltem notati ſunt; Ex. gr. pag. 235. in Sect. de Libris Atheiſticis & Anti-Atheiſticis, H. Mori Opera Philoſophica, Mſ. ined. de impoſturis Religionum, ſimilem Eſſais de Metaphyſique per Boulainvilliers, alium Mutiani de Bath de vera Religione, ut & Eduardi Herberti Religionem Laici; J. C. W. Zodiacum Cabbaliſticum;

ſticum; de Joſepho Chriſti Parente; & alia inedita, eadem Nota raritatis inſignit; cum tamen pro noſtra ſententia, Mori Opera in quartam ſaltem, reliqua cuncta in primam omninò Claſſem, referenda ſint; è contra, pag. 390. Libro, cui Titulus, Tréſor de l'Hiſtoire des Langues, par Claude Duret, 4. Notam Rr. adjecit, proinde majorem illi raritatem, quàm ſupradictis ſcriptis ineditis, tribuit; cùm tamen ipſemet in Bibliotheca Hiſt. Liter. p. 685. ultimum raritatis Gradum ipſiſſimo huic Libro denegaſſet; ceterum, etſi magna imò maxima pars noſtræ in Reimanniana deſit collectione; attamen reliquorum Librorum de raritate teſtatur idem Catalogus; imprimis vide de Bibliis apud Rob. Stephanum Anno 1557. in fol. evulgatis, peculiarem, quam Author, præfationis loco, ſiſtit Obſervationem.

ANNOTATA ad AXIOMATA

Hiſtoricô-Critica Cl. Vogtii de raritate Librorum.

„ Ax. I. Rari & rariores Libri ſunt illi; qui minùs „ frequenter occurrunt, à pauciſſimis manibus terun- „ tur, inventu quoque & paratu ſunt difficiles.

„ Ax. II. Raritas Librorum non una eſt eademque; „ dantur ejus *Gradus*, hic Liber eſt *rarus*, ille *rarior*, „ iſte *rariſſimus*.

Cùm feré tot gradus ſint raritatis, quot Libri rari, plus tribus enumerandos eſſe cenſemus; Quamobrem addimus primum Cel. Heumanni, illorum, qui vix in quingenteſima Bibliotheca reperiuntur, & quos propterea *Phœnices Librorum* nuncupavit; & quintum *minùs obviorum*; quoad priorem enim gradum obſervandum eſt, non omnes Libros rariſſimos, ad primam hanc Claſſem pertinere, imò ipſius hujus Claſſis Libros maximè inter ſe invicem differre raritate; v. gr. *Serveti Libros de Trinitatis erroribus ejuſque Dialogos* adnumerandos eſſe primæ huic Claſſi, nemo inficias ibit; interim uterque Liber *ejuſdem Reſtitutioni Chriſtianiſmi* nullò modô erit æquiparandus raritate. Quoad quintam Claſſem; ſunt Libri quidam, qui ſenſu ſtrictiori non poſſunt pro raris venditari, attamen non ubivis occurrunt, & proindè *minùs obvii* jure vocantur.

„ Ax. III. Diſtinctio inter *tunc* & *nunc*, inter *hic* & „ *ille*, inter *mihi* & *tibi* non eſt negligenda. Olim

„ Libri

„ Libri quidam fuerunt rari, qui nunc recuſi, nunc „ rariſſimi, qui quondam ſatis obvii. Sic etiam Codices uno loco rariores ſunt, quàm altero, qui „ rari in his oris videntur, adhuc aliis Regionibus „ ſuppetere poſſunt, & Liber, qui uni rarus eſt, alteri non æque rarus videtur. Quilibet & hìc ſuo „ ſenſu abundat.

Probè ad hoc Axioma erit attendendum, Liber olim rariſſimus, etſi nunc recuſus, non planè integrum raritatis amittit pretium: Editiones priores & originales ſemper pretium quoddam, imò ſæpe maximum retinebunt. V. g. *Bibliotheca Aproſiana*, à Cel. Wolfio Latio donata, hacce nova Editione hoc unicum effecit, ut non amplius de exiſtentia hujus Libri dubitaretur, Editio originalis ſemper maximi, imò quantivis pretii erit, utpotè pauciſſimis viſa. Inter *hic* & *illic*, *tibi* & *mihi*, itidem erit diſtinguendum, quamobrem Viri quidam eruditiſſimi & in Republica Literaria Dictatores ſæpiùs nobis nimis iniqui Cenſores viſi ſunt, in ſpernendo aliorum judicio, ſólidis rationibus Libri cujuſdem raritatem evincere conantium, qui Liber tamen iſtis Cenſoribus ſatis obvius videbatur, non perpendentes, Librum eundem ſæpiùs in plurimis Bibliothecis ejuſdem Regionis, imò ejuſdem forſan Urbis, extare, qui tamen fruſtra in ſexcentis aliis quæritur, proindè hìc meritò rarus, illic ſatis obvius, judicatur.

„ Ax. IV. Rari & rariſſimi, omnium rectè ſentientium judicio ſunt:

„ (α) Libri ab Artis Typographicæ primordiis, ad „ annum uſque 1500., typis exſcripti. Non falluntur, „ qui vel ipſis Manuſcriptis rariores habent hujus generis Libros. Cauſa Raritatis, tum hominum incuria & neglectus, tum præcipuè exiguus exemplarium impreſſorum numerus.

Terminus *ad quem* pro noſtra ſententia non ad initium Sæculi XVI. tantùm, ſed ad Annum vigeſimum hujus Sæculi erit extendendus, imò quadrageſimum indicaremus, niſi Lit. (γ) peculiarem de Libris, hoc temporis ſpatio, excuſſis, notam ſiſteret; unumquodque decennium ad Typographiæ primordia propiùs accedens, imò decennio primo & ſecundo ſingulum luſtrum, ſingulus Annus, maximum Editioni addit raritatis pretium. Rari ſunt Libri decennio ultimo Seculi XV. excuſi, rariores illi decennii penultimi ſivè noni, rariores præcedentibus Libri octavi decennii, & ejuſdem Editiones luſtri prioris inter omnium rariſſimos Libros ſunt reponendæ. Decennii verò ſeptimi Editiones ſummæ raritatis ſunt & quantivis pretii.

„ (β) Libri Authorum veterum, editi ſtudio præ-

„ ſtantiorum Sæculi XVI. Typographorum *Manutiorum*, *Juntarum*, *Stephanorum*, *&c.* quantâ aviditate, „ quantoque interdum pretio à Belgis, præcipuè verò ab Anglis, conquiri ſoleant ejuſmodi Authorum „ priſcorum Editiones, docet perilluſtris Zach. Conr. „ ab *Uffenbach* in præfat. Tom. II. Bibliothecæ ſuæ.

Principibus Typographorum Sæculi XVI. ab Authore memoratis adjungendi ſunt, *Gryphii*, *Plantini*, *Wechelii*, *Torrentini*, *Commelini*, *Morellii*, *Patiſſonii*, ùt & Celebres illi Baſileenſes *Frobenii*, *Epiſcopi*, *Oporini*, & quamplurimi alii, Eruditis haud ignoti; nil dicamus de Celebrioribus Sæculi XV. Typographis, quippe quorum Editiones, ſecundùm Notam præcedentem, omnes raræ, imò rariſſimæ ſunt.

„ (γ) Libri *Lutheri* & *Coætaneorum*, Reformatio- „ nis tempore luci publicæ commiſſi interque hos „ præprimis Editiones *Bibliorum Lutheri* antè Annum „ 1545. excuſæ.

„ (δ) Libri in Terris peregrinis & diſſitis locis im- „ preſſi, nobisque vix ſaltem Titulò tenùs noti; in- „ ter quos raros Libros nos rariſſimos ſaltem ſelegi- „ mus.

„ (ε) Libri, ſcriptorum corruptorum, truncato- „ rum ac depravatorum, incorruptas, non caſtratas, „ & intemeratas Editiones exhibentes.

„ (ζ) Libri Magiſtratuum Cura vel fiſco addicti, „ vel æternis mancipati tenebris, vel flammis etiam „ ultricibus traditi, quia vel Religionem offendunt „ & bonos mores, vel Reipublicæ quoque rationes „ ac commoda turbant.

„ (η) Libri, quos vel adverſa fata Vulcani, aut „ Neptuni, vel privatorum non nullorum induſtria, „ infeliciter ac ſtudioſè ſuppreſſerunt.

„ (θ) Libri in controverſiis Principum ac Magnatum „ imò & privatorum, editi, quos *Deductiones hiſtoricas* appellamus. Moris enim eſt, hujuſcemodi „ ſcripta genere, & dignitate in Aula eminentibus di- „ ſtribuere, non autem Bibliopolis committere.

„ (ι) Libri, quorum pauca ſaltem exempla typis „ ſunt expreſſa, cujus rei cauſa interdum ambitio „ eſſe poteſt, interdum ſumtuum moleſtia, quandò

„ nimirum

„ nimirum propriis Author ſumtibus Librum exſcri-
„ bit.

„ (κ) Libri maximi ac voluminoſi, qui à paucis ob
„ molis magnitudinem comparari, & ob prægrande
„ pretium, vix alio quam publico ære redimi poſ-
„ ſunt. Cujuſmodi ſunt: *Corpus Hiſtoriæ Byzantinæ*,
„ *Acta Sanctorum*, *Theſaurus Literarius Italiæ*, &
„ centum alii.

„ (λ) Libri minimi, paucarum plagularum, qui
„ ob pretii molisque exilitatem, ubi aliquot annorum
„ ætas interceſſerit, oculis ſe noſtris ſubducunt, &
„ elabuntur manibus, adeò ut difficillimè, ac ſæpè
„ nullo parari pretio poſſint.

„ Ax. V. Libri rari non ſemper ſunt optimi, aut
„ digni, qui legantur; quinimò nonnunquàm ſunt
„ peſſimi, ſæpiſſimè Liber malus ac inutilis, ob ſo-
„ lam raritatem in pretio eſt.

Libri rari non ſolùm nonnunquàm peſſimi, ſed plerique peſſimi, omnium ſunt rariſſimi; uti teſtantur *Serveti*, *Jord. Bruni*, *Aretini*, aliorumque nefanda ſcripta.

His Axiomatibus Cel. Vogtii adjungamus ſequentia nova:

Ax. I. Alii Libri rari ſunt, quoad materiam, alii quoad formam, alii quoad utrumque.

a. Quoad Materiam rari ſunt illi, qui ſenſu ſtrictiori rari vocantur, ob contenta ſivè argumentum anxiè quæruntur, & etſi forſan ſæpiùs recuſi, tamen rari ſunt; Altera ſpecies eorum, qui ob præſtantiam quàm citiſſimè per literatum Orbem diſtrahuntur, & ſtatim in Bibliopolarum Tabernis apparere deſinunt; Altera verò Librorum ſuppreſſorum, impiorum, ſuſpectorum, prohibitorum, qui meritò occultantur, & proindè rari eveniunt.

b. Libri, quoad formam rari, ſunt, Editiones raræ Librorum aliàs ſatis obviorum; Ex. gr. quid magis obvium *S. Bibliis*? quorum tot Myriades Exemplorum ab inventa Typographia ad noſtra uſque tempora impreſſa fuêre. Quid rarius illis ipſis Bibliis, à *Guttembergio*, *Fauſto*, *Mentelio*, &c. impreſſis, item *Sixtinis* aliiſque? & ſic deinceps.

c. Denique rari ſunt, quoad Materiam & Formam, Libri rari, ſemel ſaltem excuſi, ùt & Editiones Librorum præſtantiorum & rariorum primæ & incaſtratæ, &c.

Ax. II. Non omnes Libri, qui in plurimis Librariorum Tabernis non apparent, ſunt rari, è contrà Liber

Liber cujus Titulus in unius vel alterius Biblipolæ Catalogo legitur, non ſtatim hanc ob cauſam ſatis obvius nominandus eſt.

Quoad Theſin priorem, obſervandum eſt, Libros futiles, leves & alios meritò neglectos, item Editiones priores Librorum, quorum novæ poſteà & auctiores parantur, ſenſim ſenſimque evaneſcere, imò ſæpius Seplaſſariis vendi, ac proindè non ampliùs apparere, & tamen non pro raris venditari. Quoad ſecundam, Experientia nos ſequentia docuit. Sæpiùs Libri à Bibliopolis pro rariſſimi venditati, & ubivis fruſtrà quæſiti, tandem & ſæpiùs apud eundem Librarium, qui ſummam ejus raritatem aſſeruerat, in renovato ejus Catalogo titulum legi, cùm unicum ejus Exemplar (Copia enim ejus non adeſt) inter alia nullius pretii Scripta, vel in Bibliotheca quadam coëmpta forte fortuna inveniſſet, & Catalogo pro æquo, imò ſubindè ſatis vili, pretiò, raritatis immemor, aut inſcius, inſeruiſſet. Bibliopolæ enim hodierni non ſunt æmuli ſcientiæ *Aldorum*, *Stephanorum*, aliorumquè Celeberrimorum Sæculi XVI. Typographorum, ſed rei literariæ & librariæ, maxima ſaltem ex parte, planè ignari. Exemplum habes hujus Inſcitiæ in Lexico Univerſali librorum nuper à quodam hujus gentis, 4. Tomis in folio, uti ajunt, evulgato; qui poſtquàm quinquaginta & quatuor annos, uti ipſe in præfatione gloriatur, Librorum propolium & Studium literarium exercuiſſet, tandem opus confecit, de quo judicium ſequens mihi haud iniquum videtur.

ER habet Auſonium hic Liber, habet ERque Pelaſgum
ER habet Hebræum, prætereàque nihil.

Ax. III. Libri ſine die & conſule editi ferè omnes rari ſunt.

Cum indicent Librum aut in Typographiæ primordiis expreſſum, aut argumenti, quod impediverit, quin minùs Locus, Annus, Typographus, &c. indicati fuerint; nullam tamen eſſe regulam ſine exceptione facile agnoſcimus.

His obſervatiunculis præfixis non opus erit, Notas prolixas illis Libris à Cel. Typographis ſupra memoratis, vel etiam Sæculo XV. editis, huic noſtro Catalogo inſertis, addere, cùm quivis Locum, Annum & Nomen Typographi inſpiciens, ſtatim de raritate Libri facile judicabit, imprimis cum integra hæc noſtra Collectio nil niſi Libros raros, vel ſaltem minùs obvios comprehendat.

Vogt vel V. ſignificat Joh. Vogt Catalogum Librorum; Editionis ſecundæ, Hamb. 1738. 8.

Heum. C. R. L. Heumanni conſpectus Reipublicæ Literariæ. Editio quarta, Hanov. 1735. 8. H. A.

H. A. Ph. Heumanni Acta Philoſophica, Halæ, 1715. ſeq. 8vô.

B. A. H. Bibliotheca Anonymiana, Hagæ Comitum impreſſa, 1728. 8.

B. A. S. Bibliotheca Anonymiana Schmidii, Norimb. 1738. 8.

B. Mem. A. Beyeri Memoriæ Hiſt. criticæ Librorum rariorum, Dreſdæ, 1734. 8.

Serp. S. S. Verzeichnus einiger raren Büchern, Franckfurt, 1723. 8.

B. U. Catalogus Bibliothecæ Uffenbachianæ, Francof. 1727. IV. Vol 8.

à S. à Seelen Selecta literaria, Lubecæ, 1726. 8.

G. C. Gundlings Collegium über Heumanni Conſpectum Reip. Literariæ, Francof. 1734. ſeq. 4. V. Vol.

St. I. Stollii Introductio in Hiſtoriam Literar. Jenæ, 1736. 4. germanicè.

St. B. Stollii Recenſio Bibliothecæ ſuæ Librorum, Jenæ, 1733. & ſeq. II. Vol. 4.

Schelhornii ubi nomen ſolum apparet, ibi ipſius Amœnitates literarias XIV. Tomis, Francof. 1725. & ſeq. editas, ſubintelligi volumus.

S. A E. Schelhornii Amœnitates literariæ & eccleſiaſticæ, ibid. 1733. 8. II. Vol.

B. C. de S. Bibliotheque Critique de Sainjore, Amſterd. 1708. ſeq. IV. Vol. 12.

Haym. Notitia de' Libri rari nella Lingua Italiana, London, 1726. 8.

C. V. M. St. Cruſii Vernügung müßiger Stunden, Lipſ. 1713. ſeq. 8.

Obſ. H. Obſervationes ſelectæ, Halæ, 1725. ſeq. Tomi XI. 8.

G. O. S. Gundlings Obſervationes ſelectæ, ibid. 1737. 8.

G. N. L. R. C. Groſchuſii nova Librorum rariorum Collectio, ibid. 1709. 8.

B. Kr. Bibliotheca Raimundi Krafft, Ulmæ, 1739. 8vô.

C. A. Coleri Anthologia, Lipſiæ, 1725. 8.

B. V. E.

B. V. E. Vernünftige Gedancken aus der Critic, Literatur, &c. Col. 1732. 8.

C. F. M. Catalogus Freſnojo-Menkenianus, Lipſ. 1718. 8.

C. M. Catalogus Menkenianus, ibid. 1727. 8.

Th. S. Theophili Sinceri Nachrichten, Tomi III. quorum tertius ſub titulô Bibliotheca hiſtoricô-critica Librorum rariorum, prodiit, Francof. Lipſ. & Norimb. 1731.-- 1736. 8.

Th. B. Ejuſd. Theſaurus Bibliothecalis, Norimb. 1738. ſeq. 4.

R. B. Th. Joh. Frid. Reimanni Catalogus Bibliothecæ Theologicæ, Hildeſiæ, 1731. Vol. II. 8.

B. H. A. Catalogus Bibliothecæ Heukelom-Akerslotianæ, Hagæ Com. 1730. 8.

Placc. Vincentii Placcii Theatrum Anonymorum & Pſeudonymorum, Hamb. 1708. fol.

P. March. Hiſtoire de l'Origine & des premiers Progrés de l'Imprimerie, à la Haye, 1740. 4.

W. Joh. Chriſtoph. Wendleri, de libris à Pontificiis &c. ſuppreſſis, Schediaſma, Jenæ, 1714. 4.

M. de L. Memoires de Literature, à la Haye, 1715. à 1717. II. Vol. IV. Parties, 8.

Reim. de Lib. G. Joh. Frid. Reimannus de Libris Genealogicis, vulgatioribus & rarioribus, Commentatio, Lipſ. ſ. n. A ſed Præf. data eſt 1710. 8.

Apin. Apini Anleitung Bilder zu ſammlen, Nürnberg, 1728. 8.

NOMINA

NOMINA BIBLIOPOLARUM

Aliorumque, qui Literas, occaſione hujus Catalogi ad eos directas, accipient.

LONDINI,	John Nourſe, in Platea, vulgò the Strand.
AMSTELODAMI,	Petrus Mortier.
—— ——	Franciſcus Changuion.
HAGÆ Comitum,	Petrus Goſſe.
LUGDUNI Batavorum,	Samuel Luchtmans.
PARISIIS,	Anthonius Urbanus Coutelier.
—— ——	J. Briaſſon.
FRANCOFURTI ad Mœnum,	Erneſtus Auguſtus Koch, Cæſareis, pro re Libraria delegatis, à ſecretis.
—— ——	Franciſcus Varrentrapp.
HAMBURGI,	Chriſtian Wilhelm Brand.
—— ——	Joh. Carl Bohn.
—— ——	Chriſtian Herold.
LUBECÆ,	Jonas Schmid.
ALTONÆ,	Fratres Korte.
LIPSIÆ,	Bipliopolium Groſſianum.
—— ——	Joh. Frid. Gleditſch.
BEROLINI,	Joh. Andr. Rüdiger.
NORIMBERGÆ,	Joh. Georg Lochner.
ULMÆ,	Daniel Bartholomæi & Filius.
GENEVÆ,	Henricus Albertus Goſſe, & Socii.
—— ——	Hæredes Cramer, & Fratres Philibert.
BASILEÆ,	Joh. Jacob Emanuelis Thurneiſen.
TIGURI,	Heidegger & Socii.

LIBRI IMPRESSI.

ABAELARDI (Petri) & Conjugis ejus opera. Paris, 1616. 4to.

Librum huncce rariſſimum eſſe, teſtantur Vogtius & alii quamplurimi.

ABANO (Petri de) Conciliator Differentiarum Philoſophorum, præcipuè medicorum; Mantuæ, fol. „ Hoc „ Philoſophorum Decus IlluſtriſſimoPrincipe &Domi- „ no Dno. Ludovicho de Gonzagha Marchione ibidem „ feliciter regnante, impreſſum. Annis verbi incar- „ nati, 1472.

——— COMMENTARII in Problemata Ariſtotelis. Venetiis 1518. fol. vide infrà Ariſtot.

——— LIBELLUS de Venenis. Venetiis ap. Joh. Gryphium. 1550. 12.

ASTROLABIUM planum, vide Regiomont.

Hi Libri ingenti raritatis laude florent, præſertim primus, qui in primum primæ claſſis ordinem facilè eſt referendus, Petrus de Abano, Apono ſive Aponenſis enim, Sec. XIV. XV. & XVI. celebratiſſimus fuit, Seculo ſequenti memoria ejus ex animis ferè autem omnium exolevit, ita ut apud maximos illos Litteratores, Morhofium & Reimannum de illo altum ſit ſilentium, alij verò uti Thomaſius, Buddeus & Fabritius in Errore circa nomen & Scripta ejus verſentur, vide doctiſſ. Seculi noſtri Litteratoris Celeb. Heumanni actaPhiloſ.Sect. VII. p. 69. ſeq. qui p. 106.ſeq. de Scriptis noſtri Authoris imprimis de *Conciliatore differentiarum* agit, & pag. 108. fatetur, hunc Librum ſemper oculis ſuis ſe ſubduxiſſe, ſimul omnes Eruditos rogat & obſecrat, ut ejus Recenſionem ipſi communicent, cujus voti tandem compos factus eſt à Celeb. Schellhornio, v. laudata acta Philos. Sect. XI. p. 374. ſeq. ambobus his maximis viris nulla tamen editio nota erat, excepta illa Anni 1483. quam ſtupendæ raritatis eſſe, omnes Eruditi uno ore deprædicant; quanti pretij ſit hæc noſtra, unico *Mattairio* memorata, unus quiſque facilè judicabit, præſertim ij, qui, teſte Marchando, in hiſtoria ſua de Origine Typographiæ pag. 107. Boccatium Anni 1471. pro centum nummis aureis anglicis, quos *Guineos* vocant, Quintilianum Anni 1470. pro 405. florenis Hollandicis &c. ſibi compararunt; cum tamen hic, *Petri Aponenſis*, Liber ſine omni exceptione, rarior ſit dictis duobus, & in illis, forma tantum, Editio ſcil. rara ſit, in hôc noſtro verò

A materia

Digitized by Google

materia & forma, quippe qui vix, non dicam, n quingenteſi-ma ſed milleſima Bibliotheca extat.

Reliqui duo de *Venenis*, & *Commentarii in Ariſtotelem* meritò rariſſimis Libris paſſim adnumerantur, vide Heumannum Locò cit. Bibl. Ufenbach. & alios. Hoc adhuc addendum puto, Maittarium pag. 319. Tomi I. affirmaſſe, impreſſam eſſe hanc noſtram Editionem per *Thomam Septemcaſtrenſem* & Socios, jubente Ludovico Carmelita, id quod tamen in noſtro Exemp'ari, nitidiſſimè compacto, & optimè conſervato non obſervavimus.

Abela (Giov. Franceſco) Maltha illuſtrata &c. Libri IV. cum fig. Maltha 1647. fol.

Hunc Librum in ipſa Italia rariſſimum eſſe teſtatur *Haym* hæcque Editio ſemper pretium raritatis retinebit, etſi Liber in Linguam Latinam tranſlatus, & Burmanni Theſauro antiquit. inſertus fuerit.

Abrahami Liber Jezirah vide Rittangel.

——— Idem v. Poſtell.

Abrami (Nicol.) Pharus Vet. Teſtamenti. Pariſijs 1648. fol. Colerus in Anthologia ſequentia habet; „ non ſunt penes nos in ulla Bibliotheca Nic. Abra- „ mi Libri, quorum notitiam efflagitâſti, „ vide plura ap. Th. S. Tom. II. p. 1.

Abulpharajus vide Pockokius.

Academici (degli Pelegrini) Mondi celeſti, terreſtri & infernali Venetiis 1562. 8vô.

Author Libri hujus rariſſimi eſt Franc. Doni, Scriptis ſuis clariſſimus, vide B. A. H.

Accords (Seigneur des) Bigarrures &c. Poitiers, 1615. 12.

Liber rarus Authore Vogtio.

Acidalij (Valentis) Epiſtolarum Centuria 1ma Hanoviæ typis Wechel, 1606. 8vô.

Recenſionem Libri hujus rari habes ap. Theoph. S. Tom. II. p. 216. ſeq.

Acta Conventûs Thorunenſis celeb. Annô 1645. Warſoviæ 1646. 4to.

——— Et Scripta Theologorum Wirtenbergenſium & Patriarchæ Jeremiæ, gr. Lat. Wittebergæ 1584. fol.

De raritate & præſtantia hujus Libri, in auctione Goliana ultra 17. fl. divenditi, vide Vogtium & Authores ibi laudatos.

Actes (les) de la Journée Imperiale tenue en la Cité de Regenſpourg en 1541. ſur les differents, qui ſont aujourdhuj dans la Religion 1541. 12.

Opuſculum Calvini admodum rarum, pauciſſimis viſum.

Adriani Papæ VI Regulæ, Ordinationes & Conſtitutiones Cancellariæ, Romæ 1521, 8vo. Editio Originalis.

Æmilius (Paulus) de rebus geſtis Francorum, Lutetiæ per Vaſcoſanum 1550. fol. item.

Joh. Tilij Chronicon de Regibus Francor. à Faramundo uſque ad Franc, I. ibid. eod.

De hac noſtra Editione rara atque nitidiſſima, vide Bunem. p. 48.

Æschinis & Demosthenis Orationes gr. ex Edit. Reuchlini, Hagenoæ 1522. item

a. Luciani Dialogi gr. Baſileæ ap. Val. Curionem, 1522.

b. Libanij Declamatiunculæ aliquot, cum duabus Lyſiæ orationibus, & aliis nonnullis gr. lat. per Eraſmum, Baſileæ ap. Frobenium, 1522. 4to.

Æsopi & aliorum fabulæ gr. lat. Baſileæ ap. Frobenium, 1534. 8vo.

——— ap. Gryphium. eòd. 8vo.

Agricolæ (Chriſtoph.) Antipiſtorianum Propugnaculum, Francof. 1592. 4to.

De hocce, inter Authoris rariora, rariſſimo Scripto, vide imprimis Vogtium, adhærent.

a. Formulæ Reformationis, per Cæſarem Statibus Eccleſiaſticis propoſitæ, Aug. Vindel. ap. Philippum Ulhard.

b. Denuò Moguntiæ ap. Franc, Behem. 1559. itidem rariſſimæ.

——— (Rod.) Epiſtolæ v, Melanchton.

Agrippa (Camillo) v. Bacci.

——— (Cornel.) de vanitate Scientiarum Antwerpiæ ap. Joh. Graphæum 1530. 4to.

——— Denuò 1531. Coloniæ 8vo. adhærent a. Varini Camertis ſententiæ ex Stobæo ibid. 1530.

b. Melanchton de ſtudiorum neceſſitate, & Luciani Opuſculum ad indoctum & multos libros ementem, Hagenoæ per Secerium s. n. A.

c. In laudem ebrietatis & Encomium muſcæ, Chri-

ſtoph. Hegendorfino Interprete, Hagenoæ per eund. 1526.

d. Lucianus de Calumnia. Aug. Vindel. ex Officina Alex. Weiſſenhorn. 1529.

e. Eraſmus de Civilitate morum pueril., Baſil. ap. Froben. 1530.

——— denuò 1532. 8vo.

——— denuò 1536. 8vo.

——— s. n. Anni 8vo.

——— 1584. Coloniæ ap. Theod. Baumium 8vo.

——— 1693. Francofurti. cum Tractatu de præcellentia ſexûs fœminæi.

Editiones primas & incaſtratas rariſſimas eſſe, quippe quarum ſaltem unam vel alteram maximis Litteratoribus oculis uſurpare licuit, cuivis notum eſt. Editionem verò Anni 1530. nemo vidit, niſi quod Schellhornius amœnit. Tom. II. p. 516. eam prodiiſſe, ex Epiſtola aliqua Auctoris probet, illiusque titulum in nullo Catalogo legi, niſi unde illam emi, nec in ulla Bibliotheca invenies tam abſolutam collectionem Editionum hujus libri, qualis hic extat.

——— de occulta Philoſophia 1533. fol.

——— iterum Paris. 1567. 8vo.

Editionem priorem, haud ita pridem, quidem Anglus Francofurti degens, anxiè quinquaginta imperiales & ultrà offerens, ſed fruſtrà quærebat.

——— de Nobilitate fœminei Sexûs, 1532. 8vo.

——— Opera Lugd. 1600. per Beringos Fratres, Tomi II. in 8vo.

Hæc Editio etſi ſatis caſtrata, nihilò tamen minùs magno pretio vendi ſolet.

Albertus M. de Mineralibus, vide Gebri Alchimia.

——— de natura Locorum vide Bebelium.

——— de Falconibus &c. vide Fridericus.

Albizii (Antonii) Principum Chriſtianorum Stemmata, Aug. Vindel. 1610. fol.

——— denuò Argentorati, 1627. fol.

De raritate hujus Libri vide Cruſii V. M. S. & Menkenium in Catal. Freſnojano, cui tamen Editionem poſteriorem ignotam fuiſſe videtur.

Albo-Hasen Hali, vide Hermetis Centiloquium.

Albu-

Albumasaris vide Regiomontanus.

Alciati Emblemata 1532. 12.

Alcoran desCordeliers, Latin & François. 1578. 8vo.

Editionis hujus rariſſimæ, diligentiſſimi aliàs Reeenſores Libri hujus perrari, Bælius, Schellhornius, Bejerus nullam planè mentionem faciunt.

Aldobrandinus (Petrus) de Interpretatione Lud. Cati I. C. Venetiis 1543. 4to.

a, Defenſio Juris &c. Domini Wilhelmi, Juliæ &c. Ducis in Ducatu Montenſi ap. Sorlingen 1542.

b. Hutteni (Huldrici) cum Eraſmo Roterod. Expoſtulatio.

c. M. Lutheri contra Henricum VIII. Regem Angliæ Liber apologeticus. Witteberg. 1522.

d. Luciani Palinurus, ejuſd. Scipio Rom., Bruti Rom. Epiſt., & Diogenis Cynici Epiſtolæ. Avinione per Nic. Sepe 1497.

Faſciculus Librorum rariſſimorum, Littera a. enim ſcriptum in cauſa illuſtri, perrarum, b. Hutteni omnia rara, vide H. c. Editio originalis opuſculi Lutheri contra Henr. VIII. d. Luciani &c. Editio rariſſima & ſatis incognita.

Alethei (Theoph.) Diſcurſus politicus de Polygamia. Friburgi ap. Henr. Cunrath. 1676. 8vo.

——— Polygamia triumphatrix c. n. Athanaſii Vincentii. Londini Scanorum 1682. 4to.

Binæ hæ Libri rariſſimi & ſuppreſſi Editiones admodum raræ ſunt, conſenſu omnium & magno pretio venduntur, vid. Bunem. p. 108.

Alitophili Religio exculpata 1684. 4to.

Allatius (Leo) de Simeonum Scriptis, & alia Pſelli & Metaphraſtæ per Franc. Combefiſium. Paris. 1664. 4to.

Allæi (Franc.) Arabis Chriſtiani, Aſtrologiæ nova Methodus 1654. fol.

——— iterum 1658. fol.

Libri hujus rariſſimi, cujus Auctor Yvo Pariſienſis Capucinus, Editiones noſtræ ambæ, Cl. Bejero, qui illam Anni 1688. recenſet, incognitæ erant.

Alphontii Regis Caſtellæ illuſtriſſ. cœleſtium motuum Tabulæ, impreſſæ per Erhardum Ratdolt Auguſtenſem. Anno 1483. 4to. s. n. L. a, Liber

a. Liber Ptolomei 4. Tractatuum cum Centiloquio ejuſd. & Commento Hali. Venetiis per eund. 1484. 4to.

b. Johannis de Monte Regio Calendarium. s. n. A. & L.

c. Joh. Angeli Opus Aſtrolabii, „ Erh. Ratdolt Augu-
„ ſtenſis Viri ſolertis eximiâ induſtriâ & mirâ impri-
„ mendi arte, quâ nuper Venetiis, nunc Auguſtæ Vin-
„ del. excellet nominatiſſimus.„ 27. Cal. Nov. 1488.

Altobello (il Libro Chiamato) Venetiis 1598. 8vo. Canti 34.

Liber hic Rithmicus Hiſtoriam præliorum quorundam continet. Huc uſque, quoad mihi conſtat, nemini memoratus.

Ambrosii (Divi, Mediol. Epiſcopi) Officiorum Liber, Pariſiis apud. Joh. Petit, 1504. 4to.

Editio admodum rara & nitida.

Amirault (Moiſe) vie du Seigneur de la Noue, Leyde, chez Jean Elzevir. 1661. 4to.

De Libro hoc rarò & præſtanti vide Th. S. Tom. II. p. 231.

Ammirato (Scipione) Iſtorie Fiorentine, Fiorenze, Giunti, 1600. 2. Vol. fol.

——— Famiglie nobili Napolitane, parte I. ibid. 1580. fol.

——— - - - - parte II. ibid. 1651. fol.

——— Famiglie nobili Fiorentine, parte 1mà. ibid. 1615. fol.

Scip. Ammirati Opera præſtantia ac perrara ſunt, Liber de familiis Florent. à Hubnero in Bibl. Geneal. Libris rariſſimis annumeratur, ut & ille de familiis Napolitanis, præſertim Tom. II. qui adeò rarus eſt, ut Eruditi quidam aſſerere audeant, illum nunquam Lucem adſpexiſſe. Raritas ejus etiam exinde patet, quod maximus ille Polyhiſtor Menkenius in Catalogo Freſnojano & Enumeratione Hiſtoricorum ibi facta, nullam planè mentionem de Tomo hocce IIdo fecerit, manifeſtò indicio, illum nullam de illo, tum temporis, notitiam habuiſſe, poſteà enim in Catalogo Bibliothecæ ejus, pag. 575. opus hoc Libris rarioribus annumerat, ita ut hic Liber, aut potiùs hæc collectio, maximæ ſit Raritatis, & quantivis pretii.

Ammonii & Margentini Commentarii in Librum Ariſtotelis περὶ ἑρμηνείας, fol. græcè, ap. Aldum, & Alex. Aphrodienſis in priora Analytica Ariſtot. Græcè, ibid. 1520. fol. idem in Sophiſticos Ariſtot. elenchos, gr. ibid. eod. Anasta-

Anaſtasius Sinaita in Hexaemeron v. Lanoius.
——— Orationes, &c. vide Turrianus.
——— Bibliothecarii, Hiſtoria de vitis Rom. Pontificum. Moguntiæ, 1602. 4to.
Anaſtaſii Sinaitæ Opera rariſſ. ſunt. vide infrà in L.

Andreæ (Johannis) Virgilius Chriſtianus. Coloniæ 1595. 8vo. item a. Probæ Falconiæ Centones de Chriſt. fidei myſteriis. Baſileæ per Jac. Parcum.

b. Antitheſis Chriſti & Anti-Chriſti. Genevæ 1578. 8vo.

c. Theophraſti Expoſitio imaginum Norimbergæ repertorum. s. n A. & L.

Libri ambo poſteriores rari, imprimis Paracelſi Scriptum, quod inventu difficillimis annumeratur à quàm plurimis.

Andrelini (Fauſti) Diſticha. Lugduni 1537. 8vo.

Angeli Aſtrolabium v. Alphonſus.

Anglicus (Barthol.) de proprietatibus rerum. Norimberg. 1519.

De Libro hoc raro vide Th. S. Tom. II. p. 236.

Annii (Joh.) Viterbienſis antiquitatum variarum Volum. XVII. ex Officina Badiana 1512. fol.

Editio tertia ſex annis poſt obitum Auctoris impreſſa, & præter Struvium in Scripto de doctis impoſtoribus à nemine memorata, hæc autem continet Scripta;

1. Contenta in aliis Voluminibus.
2. Inſtitutiones Annianæ de æquivocis.
3. Vertumniana Propertij.
4. Xenophontis æquivoca.
5. Fabius Pictoi de aureo Seculo.
6. Myrſilius.
7. Catonis fragmenta.
8. Antonini Itinerarii fragmentum.
9. Sempronius de Italia.
10. Archilochus de temporibus.
11. Metaſthenes.
12. De Hiſpaniis.
13. De Chronographia Etruſca.
14. Philonis Breviarium de temporibus.
15. Beroſus.
16. Manetho.
17. Annianæ quæſtiones quadraginta.

Annonius vide Campegius.

Antistii (Lucii Conſtantis) de Jure Eccleſiaſticorum Liber. Aletopoli 1665. 8vo.

Ex rariſſimis Bened. Spinozæ Scriptis.

Antitheſe des faits de Jeſus Chriſt & du Pape.
——— Latinè, vide ſuprà Andreæ.

Antivigilmi (Corn. Aſpaſio) la Bibliotheca Aproſiana, in Bologna 1673. 12.

A Cl. Vogtio Liber *inter rariores rariſſimus* vocatur, de quo olim multa diſceptatio, an unquam fuerit editus, hæc noſtra editio, etſi liber à Cl. Joh. Chriſtoph. Wolffio Latinè factus ſit, utpotè originalis, paucillimis viſa, & à translatione multis nominibus diverſa, pretium ſummæ raritatis nunquam amittet.

Antonini Archiepiſcopi, Summa. Baſileæ per Amerbach. & Froben. 1511. III. Vol. Editio Mattairio ignota.

Aphrodisæi (Alex.) Comment. in Ariſtot. topica. Venetiis ap. Aldum 1513. fol.
——— iterum Paris, 1542. fol.
——— in Ariſtotelem de anima. fol.
——— Comment. in Problem. Ariſtot. v. Ariſt.

Commentator Ariſtot. ex rariſſimis, vide Vogtium & alios.

Apiani (Petri) & Barthol. Amantii Inſcriptiones. Ingolſtadt ap. Authorem 1534. fol.

De Raritate hujus Libri vide Schellh. Th. S. Bun. aliosque.

Apicius (Cœlius) de Opſoniis & Condimentis, c. n. Dan. Hummelberg. Tiguri ex Offic. Froſchaueriana 1542. 8vo.

Libri rarius obvii, Editio rariſſima.

Apocalypsis Inſignium aliquot Hereſiarcharum c. icon. Lugd. B. 1608. 12.

Libellus rariſſ. doctiſſ. Mosheimio ignotus, Vogtio & aliis non viſus.

Appollinaris vide Sidonius.

Apologia pro veritate accuſata, ab Equite Polono, v. Schlichting.

Apophtegmata pia, ex ducentis veteribus Oratoribus ſelecta, Lugduni per Regnier, 1536. 16.

Appiani Alexandrini Opera omnia, ex traductione P. Candidi. Venetiis per Bernhardum Victorem & Eberh. Rathold de Auguſta, unà cum Petro Loslein de Langenzen, Correctore ac Socio. 1477. fol.

Apuleij (Lucii) Opera. Vincentiæ, per Henr. de ſancto Urſo. 1488. fol.

——— denuò ex Editione Elmenhorſtii, Francof. ex Offic. Wechel. 1621. 8vo.

Aquilinius (Petrus) de tribus Scriptoribus Concilii Tridentini. Amſterd. 1662. 8vo.

Liber rarus, vide Biblioth. Menken. p. 292.

Arbatel de Magia Veterum, vide Salomonis claviculæ. Parte II. hujus Catalogi.

Arena (Antonius) ad ſuos Compagnones ſtudiantes, qui ſunt de perſona friantes, baſſas danſas in galanti ſtylo biſognantes &c. 1670. 8vo.

Scriptum Macaronicum lepidum & rarum.

Aretino (Leonardo) Iſtoria del Popolo fiorentino, tradotta in Lingua Toſcana da Donato Acciaioli, Firenze per Barthol. Pio Fiorentino, 1498. fol. Item Poggio Hiſtoria Fiorentina, tradotta di Lingua Latina in Lingua Toſcana da Jacopo ſuo figlivolo ibid. per eund. 1492.

Uterque liber præſtantiſſimus, Editio rariſſima.

Aretino (Pietro) la prima parte de Ragionamenti 1584. item la ſeconda parte, col Ragionamento del Zopino, e il Commento di Ser Agreſto.

——— parte terza, delle Corti del Mondo, & della Corte celeſte, item del Gioco, 1589.

——— parte prima e ſeconda dei Ragionementi, col Commento. Coſmopoli. 1660.

——— Setti Salmi penitentiali, defic. tit.

——— della humanita di Chriſto, Vinegia 1547.

——— Lettere. Libro I. II. V. VI. Parigi 1609. 8vo.

——— ſive, Partenio Etiro. Lettere, Venetia 1637. 8vo.

Libri maxima ex parte nefandi & ſacerrimi, ſimulque rariſſimi, imprimis Editiones priores & 3tia pars Raggionamentorum, quippe quæ Editioni poſteriori non adhæret.

Voluminis autem Epiſtolarum ſub nomine fictitio di Partenio Etiro evulgati, nullus eorum qui Authoris ſcripta recenſuerunt, v. gr. Genſelius, Reimannus, I. B. V. E. Bejerus &c. mentionem fecit.

Aretii (Bened.) Commentarii in Pindarum. Ex Offic. le Preux, 1587. 4to.

Liber in ipſa Helvetia perrarus & olim à Bibliothecariis noſtris fruſtrà quæſitus.

Ariosto

Ariosto (Lodov.) Orlando furioſo, Venetia 1581. 8vo.

——— iterùm ibid. 1589. 4to.

Aristotelis Tractat. de anima. v. Ferrarienſis.

——— Organum. Baſileæ 1566. 8vo.

——— Philoſophia moralis. Lugd. ap. Juntas 1560. 12.

——— Problemata. ex verſione Theod. Gazæ c. Comment. Petri de Apono, & Repertorio Petri de Tuſſignano, adjunctis Alex. Aphrodiſæi & Plutarchi Problematibus. Venetiis, Expenſis Domini Lucæ Antonii de Giunta, Florentini. Anno 1518. fol. item:

a. Eutychi Auguſt. Niphi Philothei Sueſſani, in Lib. Averrois de ſubſtantia Orbis, completum Sueſſæ 1507. Auguſt. 22. Venetiis impr. mandato & expenſis Heredum nobilis Viri Domini Octaviani Scoti Civis ac Patricii Modœtienſis per Presbyterum Bonetum Locatellum Bergomenſem, Anno 1508. cum Privilegio.

——— De Generatione & Corruptione, eód. Niphô Interprete & Expoſitore. Venetiis Sumtibus Octav. Scoti Civ. Modœtienſis per Bonetum Locatellum, 1506. fol. item:

a. Idem Niphus de mixtione, cum privilegio, ibid. 1508.

b. Idem de immortalitate animæ adverſus Pomponatium, ibid. 1518.

De ſumma raritate Comment. P. de Apono s. de Ebano, uti hic vocatur, vide ſup. ſub Tit. Abano, quoad Niphum, Libri ejus adeò rari ſunt, ut Gundlingius in C. ad H. C. Stollius in H. Lit. & alii, admodum jejunam, quoad Scripta ſaltem, de illo dederint notitiam. Toppius qui in Bibliotheca ſua Napolitana, Opera ejus recenſet, trium ſuprà Scriptorum nullam planè mentionem facit, cæterum adhuc ex ejus Tractatu contra Pomponatium juſſu S. Pontif. conſcripto, colligi poteſt, hujus Pomp. ſcriptum de immortalitate, de quo infra, jam ante Annum 1518. Lucem adſpexiſſe.

Arlensis (Petri de Scudalupis) Sympathia ſeptem metallorum ac ſelectorum lapidum ad Planetas. Pariſiis ap. Dav. Gillium.

Etſi hæc Editio non æque rara ſit ac illæ Madriti & Romæ in fol. excuſæ, attamen in celebr. Raim. Krafft. Biblioth. Exemplar

plar ſecundum hanc noſtram Editionem deſcriptum aſſervabatur, v. Catal. append. p. 100.

Arngrimi (Jonæ) vide Jonas.

Arriani Hiſtoriæ. Gr. Baſileæ ap. Rob. Cheimerium, 1539. 8vo.

——— iterum per Barthol. Facium, Piſauri per Hieron. de Soncino, 1508. fol. Vide infrà Ovidius.

Art d'Aſſaſſiner les Rois, enſeigné par les Jeſuites. Londres 1696. 12.

Artefii Clavis majoris Sapientiæ. Paris, 1609. 8vo.

Libellus rariſſimus, ſæpiùs ſollicitè, ſed fruſtrà quæſitus.

Assemanni (Joh. Simonii) Biblioth. Orientalis, Tom. I. Romæ 1719. fol.

d'Aubigne (le Sieur) Hiſtoire univerſelle, Maillé par Jean Ouſſat 3. vol. 1616. 1618. 1620. fol.

——— denuò Amſterdam, chez les Heritiers de Jerôme Commelin. 1626. fol.

Editio poſterior libris rarioribus, prior verò, quippe ſummâ induſtriâ ſuppreſſa, omnium rariſſimis annumeratur paſſim.

Augustinus de Conſenſu Evangeliſtarum. Lauingæ 1473. fol.

Illud ipſum rariſſimum Exemplar ex Biblioth. Krafftiana, de quo Schellhornius.

Avis s. Adjunctio Senatus conſulto decreta ad novam Conciliorum Collectionem à P. Jo. Harduino confectam, Utrecht 1730. 4to.

Editionis originalis Exemplaria tanta cura ſuppreſſa fuerunt, ut vix unum vel alterum interitum effugere potuerit, quare hæc noſtra etiam Editio non ubivis obvia eſt.

Aurelii (Petri) Opera. Paris. ap. Antoine Vitré, 1646. fol.

De Raritate hujus Operis vide Biblioth. Cyprianicam & alios quàm plures.

Austriaca Auſteritas in Regno Hungariæ, cum Appendice, Venetiis 1671. 4to.

Scriptum hocce rariſſimum nullibi, quoad mihi conſtat, memoratum, paucis viſum & ſuppreſſum, Authorem agnoſcit Cancellarium Comitis Tekeli.

Authorum Vet. Georgica, Bucolica & Gnomica, ap. Criſpinum Gr. & Lat. 1558. 4to.

Baccius

B.

Baccius (Andr. Elpid.) de Thermis, Lib. VII. Romæ, per Jac. Maſcardum 1622. fol.

——— ejusd. Dodeci Pietre pretioſe, con Diſcorſo del Alicorno & della Alce. Roma appreſſo Ptol. Graſſi. 1587. 4to. item

Camillo Agrippa Dialogi di Venti, ib. ap. Bart. Benefacium, 1584.

Prioris libri Editio Romana à Bunemanno optima & rara vocatur; id monendum neceſſarium duco, Vogtium ſequentia habere: *In Editione Rom. omiſſa ſunt figuræ*, ex quo facile inductus fui ad credeudum, Edit. primam Anni 1571. fig. refertam eſſe, cum inſpectio me poſteà tamen docuiſſet, nil niſi Icon Thermarum Diocletianarum in ejus Lib VII. Cap. V. extare. Libri ambo priores hinc inde quampl. citantur, ſed ob maximam eorum Raritatem nullibi, quoad mihi conſtat, recenſentur, vide Morhof. Linden. & alios. Agrippæ verò Liber adeò rarus eſt, ut vix nomen ejus apud maximos Litteratores inveniatur.

Baconis (Franciſci à Verulamio) Opera omnia Francofurti 1665. fol.

Baldon (Hieron.) Aphoriſmi, vide Biblia aurea.

Baleus (Joh.) la vie des Papes, def. Tit. 8vo.

Banck (Laur.) de tyrannide Papæ. Franequeræ, 1649. 12.

——— Roma Triumphans, ib. 1645. 12.

Uterque rarus.

Bangii (Thomæ) Cœlum Orientis, Havniæ, 1657. 4to.

De raritate hujus Libri vide Th. S. Tom. II. p. 158.

Barlandi (Adr.) Hiſtoria Comitum Hollandiæ, v. Janſon.

Barlæi (Caſp.) Pœmata Amſterd. ap. Joh. Blaeu, 1654. 12. II. Vol.

Barnaudi, vide Phœdri.

Baronii (Cæſ. Martyrologium, Romæ ex Typograph Dom. Baſæ 1586. fol.

——— iterum Antverpiæ ap. Chriſtoph Plantinum, 1589. fol.

Ambæ hæ Editiones ex rariſſimis, ſed prior admirandæ Raritati, nec Vogtio nec Serpilio viſa, à priori non memorata & cujus

cujus quemquam præter Hendreichium in Pandectis Brandenburgenſibus, ex illo verò Serpil. mentionem feciſſe non memini, de poſteriori notandus eſt Vogtius, quod illam Editionibus incaſtratis annumeret, cùm tamen paſſus de S. Xinoride in Indice ſolum exſtet.

Barthii (Caſp.) Erotodidaſcalus, Hanov. typ. Wechel. 1625. 8vo.

——— Pornodidaſcalus, Cygneæ, 1660.

——— Pornoboſcodidaſcalus, Francof. ap. Wechel. 1624. 8vo.

De nefandis his poſterioribus Scriptis vide J. B. V. E. item Th. S. & alios.

Bartholinus, vide Gaffarelli.

Baudii (Dominici) Amores, ed. Pet. Scriverio, Lugd. B. ap. Franc. Hegerum & Hackium 1638. 12.

De inſigni raritate hujus Libelli vide Vogtium, & Mr. de Monnoye ibi citatum.

Bauhinus (Caſp.) de Plantis à Divis nomen habentibus, item Conr. Geſsneri Epiſtolæ, Baſil. 1591. 8vo.

Bebelii (Henr. Juſtingenſis) Poëtæ laureati Triumphus Veneris, cum Commentar. Joh. Altenſteig Mindelh. Argentinæ, 1515. 4to.

——— Opuſcula varia, Liber facetiarum, Carmina, Adagia, ibid. ex ædib. Schurerianis, 1512. item

a. De Epiſtolis conficiendis, ibid. 1513.

b. Albertus M. de Natura Locorum. Viennæ Auſtr. 1554.

——— Epitome Laudum Suevorum, & Udalrici Ducis Wurtemb. cum Apologia contra Leonh. Juſtinianum, item Cohortatio Helvetiorum ad Obedientiam Imperii, & alia.

——— Triumphus Veneris abſque Commento, item

a. Triumphus Cæſaris, contra Bojemos; omnia hæc Bebeliana excuſa ſunt Phorcæ in ædib. Th. Anſelmi Bad. 1509. menſe Aug.

b. Argentinenſium Epiſcoporum Catalogus, cum eorund. Vita per Jac. Wimphelingium de Sleſtat. S. N. A. & L. ſed præf. data eſt pridiè Kal. Jan. 1508.

c. Felini Sandæi Epitome de Regno Apuliæ & Siciliæ

ciliæ à Mich. Ferno edita Annó 1495. uti patet ex Epiſtola ejus ad Pomp. Lætum Opuſculo præmiſſa.

d. Ant. Galeazii Oratio ad Pontif. Max. ed. à Ferd. de Salazar & alia ſub finem ſec. XV. edita.

e. Jac. Wuymphelingii Defenſio Germaniæ contra Thom. Murner cum Epiſt. T. Wolfii ad eund. Murner, Frib. 1502.

f. Jac. Locher Carmen de Diluvio Romæ effuſo, S. N. A.

g. Ejuſd. Nenia de obitu Sigiſm. Archid. Auſt.

h. Joh. Aventini Abacus, & illuſtratio Germaniæ, Ratisb. ap. Joh. Khol 1532.

i. Poëtæ Hiſtorici item, Germaniæ aliquot celebres, ſingulis diſtichis deſcripti, Auth. Gerh. Fauſto, Georg. Fabricio, Eob. Heſſo, Ant. Carcheſio, Ant. Vice-Domino, Arg. ap. Joh. Schottum, 1546.

k. Georg. Fabricii Antiquit. aliquot monumenta, Arg. ap. Blaſium Fabricium, 1549.

l. Joh. Stellæ Vitæ ducentor. & trig. Summa Pontif. impr. Baſil. per Mag. Jac. de Pforzheim, Annò 1507. omnia in 4to.

Bebeliana Opuſcula à Cl. Bejero Libris rarioribns annumerantur; Ejuſd. Triumphus Veneris autem à nemine præter Thomaſium & Vogtium, quibus tamen nunquam licuit Oculis illum uſurpare, memoratur; apud eos etiam tum de Commentario Joh. Altenſteig in Edit. Anni 1515. tùm etiam de Edit. Anni 1509. altum ſilentium. Ita ut utraque in primam Claſſem Librorum rariſſ. ſit referenda. Reliqua utriquæ Vol. adnexa, itid. rariſſima ſunt, utpote vel quoad Editionem, aut quoad Librum ipſum, plerumque ignota. Collectio quantivis omninò pretii.

Bebelno (Adam. Goslav.) vide Goslavius.

Bebenburg (Lupold. de) vide Heliodorus.

Becani (Martini) Refut. Apologiæ Jacobi Angl. Reg. Mogunt. 1609.

——— Torturæ Torti, ib. 1610. 8vo. item.

Rob. Bellarmini Apolog. contra eund. Col. 1610.

——— Reſp. ad Lib. ejusd. ibid. eòd.

——— Examen Plagæ Regiæ, Mog. eòd.

Belcarii (Franc.) Rerum Gallicarum Comment. Lugd. 1625. fol.

Liber

Liber rariſſ. vocatur in B. A. H.

BELLEFORET (Franc. de) Hiſtoire des 9. Rois Charles de France, Paris à l'Olivier de P. l'Huillier, 1568. fol.

Libris rariſſimis annumeratur ibid.

BERENICI (Theod.) Proaulium Tubæ Pacis occentæ Claſſico &c. Arg. 1619. 4to.

——— Tuba Pacis, ibid. 1621. item

Juſti Mayeri Quæſtio capitalis de eod. Claſſico; ibid. eod.

Libri adv. Scioppium ſcripti, minûs obvii.

BERGOMENSIS (Jac. Phil.) Supplem. Chronicor. ab Initio M. ad Ann. 1502. c. fig. Venet. per Georg. de Ruſconib. 1506. fol.

——— iterum 1513. item.

Vellejus Paterculus, per B. Rhenanum, ap. Frob. 1520. fol. Vide infra Paterculus.

BERIGARDI (Claudii) Circulus Piſanus; Utini, ap. Nic. Schiratti, 1643. 4to.

——— iterùm, Patavii typ. Pauli Frambotti 1661. 4to.

Editiones diverſæ lib. rariſſ. Atheiſtici, de quo vide Reimannum, Bunemannum.

